

eidem in exitu vitae publice postulanti denegari non posse: nisi forte, postquam olim ad mensam Eucharisticam admissus fuit, et ante id tempus, quo postrema sacramenta requirit, aliquid commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam juxta praemissa contraxerit.

Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant; aliunde vero validae adversus aegrotum praesumptiones, et indicia gravia et urgentia militent, ob quae obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, aegrotum alloqui, eique cum omni lenitate et mansuetudine, non tanquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quae et qualia sint indicia, quae suspectum reddunt ipsius vitae tenorem; rogantes eum et obsecrantes, ut respiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo aeternae ipsius salutis sors dependet, eidemque praeterea demonstrantes, quod, quamvis ipsi parati sint SS. Corporis Christi Viaticum eidem ministrare, ac etiam re ipsa illud ei ministrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis reum se constituet, ex quo iudicium sibi manducavit et bibit; caeterum se non alia de causa Sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiae jubenti obtemperent, quae praeter eam quam habet curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, aegroti ipsius infamiam praecavere studet, et idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum, licet peccatorem in conspectu Dei reputet, non tamen in proprio tribunali publicum ac notorium peccatorem agnoscit.

Ex hac erudita resolutione multos casus resolves.

361. III. Peccatori *occulto* s. Eucharistiam publice petenti ea negari non potest, tum propter publicum scandalum, tum propter publicam diffamationem ex occulto crimine. Ita *S. Th.* p. 3. q. 80. a. 6., *Suar.* hic. D. 67. S. 4., tum quia *nec Christus Judam a communione removit. C. Si Sacerdos.* 2. de offic. Jud. ord.

362. IV. De amentibus *observa*: 1. Iis, qui ab infantia perpetuo amentes sunt, Eucharistia danda nec est per decursum vitae, nec in periculo mortis: quia pares quoad hoc censentur infantibus, et quia in eis nullo modo praecessit hujus Sacramenti devotio, ut ait *S. Th.* P. 3. q. 80. a. 9. in corp.

363. V. Iis, qui post rationis usum in amentiam inciderunt, Eucharistia danda est dumtaxat in articulo mortis.

364. *Exicipe*: 1. Nisi adsit periculum vomitus vel exspuitionis, ut ait *S. Th.* l. c., cujus experientia capi potest, praebendo illi unam alteramve hostiam non consecratam; postea, si appareat, quod deglutire possit, consecratam: ut suadet *Laym.* cum *Zambrano*.

365. *Exicipe*: 2. Nisi constet, vel aliunde praesumi possit, aliquem in statu peccati mortalis et impenitentem in amentiam incidisse. 3. Si spes sit, amentem recepturum esse usum rationis, vel habiturum lucidum aliquod intervallum, ut vocant, tunc tale tempus expectandum est, ut cum reverentia et majore fructu Sacramentum suscipiatur. Ita *Bonac.*, *Coningh.*, et alii. Dixi ejusmodi amentibus dandam esse *dumtaxat in articulo mortis.* Ratio est; quia dignitas tanti Sacramenti exigit, ut sine gravi causa non detur, nisi iis, qui cum actuali devotione et dispositione accipere possunt: atqui gravior causa nunquam est, quam ipsa necessitas in articulo mortis, ne amentes sine viatico decedant; quod ante amentiam explicite vel implicite desiderasse praesumi hoc ipso possunt, quod catholice et salutis suae non immemores vixerint; actuale vero propositum merito censetur suppleri ab Ecclesia. Ita *Laym.* l. 5. t. 4. c. 4. n. 4. Unde et iis, qui signa doloris

dederunt et Eucharistiam petierunt, postea vero in phrenesim incidant, ea deneganda non est. *Bonac.* D. 4. q. 6. pun. 1. Vide etiam c. *Is qui.* 8. Causa 26. q. 6.

366. 3. Semifatui, qui tantum rationis adhuc habent, ut peccare et sacramentaliter absolvi, atque inter cibum spiritualem ac profanum discernere possint, licet rarius juxta Confessarii iudicium, ad minimum tamen tempore Paschali et in mortis articulo ad Eucharistiam admittendi sunt. Qui vero tantum rationis non habent et a prima aetate tales fuerunt, inter infantes, sicut perpetuo amentes numerandi sunt. *Laym.* l. c. ib. n. 5. affirmat, quod mutis ac surdis a nativitate, nisi simul amentes sint, saltem tempore paschali et in articulo mortis possit ministrari Eucharistia; quia, licet ejusmodi surdi ac muti distincte edoceri, ac intelligere omnia non possint, quae ad Sacramentorum substantiam pertinent, ea tamen sufficienter, respectu suae conditionis et status colligere solent attentam consideratione eorum, quae ab aliis fieri vident, scil. quod cum dolore ad Confessarium accedant accusantes se de peccatis: item quod cum reverentia sacram hostiam adorent, cum devotione eam sumant tanquam cibum non profanum, sed spiritualem.

367. VI. *Energumenis* danda est s. Eucharistia, dummodo eam suscipere possint sine irreverentia; exceptis iis, qui propter publica scelera tanquam excommunicati ab Ecclesia diabolo traditi sunt ad vexationem secundum Apost. 1. *Cor.* 5. Vide *S. Th.* q. 80. a. 9. ad. 1., *Petrum Tyraeum* de *Daemoniacis* P. 2. c. 28. n. 7.

368. VII. Denique hic monendi sunt scrupulosi, ut si debitam diligentiam praemiserint ante confessionem, non amplius de confessione, sed potius de magnitudine Sacramenti cogitent; eo quod hoc praestet ad majorem Eucharistiae reverentiam, et ad evitandos et repellendos scrupulos. Ita *Bonac.* D. 4. q. 6. pun. 1. n. 19. cum. *S. Bonav.*

CASUS IX. De dispositione corporis ad Eucharistiam.

Gangolphus catarrho laborans paulo ante duodecimam noctis sumit frustum sacchari paulatim in ore liquandum: audita duodecima reliquum adhuc frustulum deglutit, et mane nihilominus post tabaci etiam sumptionem s. Eucharistiam sumit. Idem paulo post ex gangraena in facie foede deformatus, et post frequentes etiam in somno pollutiones, ex consueta devotione saepius accedit ad s. Communionem.

369. Q. I. Quomodo et quando violetur jejunium naturale ad Eucharistiae susceptionem requisitum? R. Ad *primum*. Ut jejunium naturale importans abstinentiam a qualibet re etiam modica comestibili per modum cibi aut potus a media nocte, juxta dicta n. 270. (de *Ecclesiastico* enim hic non agimus, quo praecipitur unica comestio in die: de hoc vide P. 1. n. 987. sub. fin.) censeatur violari, requiritur *primo*, ut id quod sumitur, habeat rationem cibi aut potus, sive ut a stomacho saltem ex parte digeri, atque in substantiam sumentis converti possit; ideo vapor ex cibis ascendens, fumus tabaci, aër qui attrahitur, vapor, nebula etc. non violant jejunium; non enim censentur quid comestibile aut potabile, sed tantum respirabile. Ita *Dicastillo* D. 9. n. 280. Putat quidem *Laym.* cum *S. Antonino* et aliis, chartam, frustulum ligni, aurum, plumbum, filum ex serico vel lana jejunium naturale violare, ita ut talia deglutienti non liceat accipere Eucharistiam; eoquod jejunium istud non ob temperantiam, sed ob reverentiam Sacramenti institutum sit, ut s. hostia ante alia omnia in stomachum deveniat; contrarium tamen affirmant *Tambur.* hic n. 18., *Lugo* D. 15. c. 2. *Jo. Sanch.*, *Ledesma*, *Diana*, et alii, eoquod ista nec habeant rationem

cibi in aestimatione morali, nec in ratione physica, cum non sint digestibilia; idem sentiendum de capillis, unguibus abrosis, lapillis, vitro etc. Certius violant jejunium ea, quae saltem aliquo modo digeri possunt, uti est aurum potabile, creta, quam teste *La Croix* hic n. 562. vanae foeminae solent comedere ut albescant, pulvis medicinalis, etiam ex ossibus, unio-nibus, aut lapidibus contritis confectus etc.; in his enim sic praeparatis partes mixtae a stomacho alterari et digeri possunt.

370. *Secundo*. Ad hoc, ut jejunium naturale violetur, requiritur, ut illud quod sumitur, sumatur per modum cibi aut potus, quod fit quando aliquid comestibile aut potabile ore accipitur ab extrinseco, et tali actione vitali trajicitur in stomachum, quae juxta communem aestimationem censeatur comestio vel potatio, qualis actio comestiva non est, si ori dormientis musca irreat et penetret in ventriculum, ut explicat *Suar.* hic. D. 66. Sect. 4. E contra vere violatur naturale jejunium, si aliquid sumatur per modum medicinae, quia medicina vere comeditur aut bibitur. Dixi, *ab extrinseco*, h. e. ut id quod sumitur, non sit quid pertinens ad corpus saltem proxime, aut remanens ex praecedente comestione. Hinc non violat jejunium: 1. Qui deglutit salivam, sanguinem aut humorem a capite in os defluentem, aut ex gingiva manantem; quia haec proxime pertinent ad corpus, neque sumuntur ab extrinseco: secus si quis sanguinem e digito sugat, item si sumeretur id, quod ex oculis aut naribus ab extrinseco in os fluit etc. 2. Non obstat, si quis ablundo os casu deglutiat unam alteramve guttam aquae aut vini salivae admixtam: illud autem juxta *S. Th.* dicitur deglutiri; per modum salivae, quod in modica quantitate ita permiscetur salivae, ut ab ea separari non possit et per modum unius cum illa trajicitur in stomachum. Pariter non solvit jejunium, qui degustat cibum, vel qui tempore pestis aromata ore circumfert et postea exspuit, licet contingat aliquid manere salivae permixtum, et cum ea deglutiri. 3. Non violat jejunium, qui deglutit reliquias pridanae coenae dentibus implicitas, quia tunc non censetur venire ab extrinseco, sed pertinere ad praecedentem comestionem. *S. Th.* 2. P. q. 8. a. 8. ad 4.

371. *Tertio*. Jejunium naturale violatur, si juxta dicta aliquid sumatur per modum cibi aut potus post mediam noctem, quae in his partibus incipit ab hora duodecima noctis, et quidem juxta *Joan. Sanch.*, *Coningk*, *La Croix* L. 4. n. 486. et L. 6. p. 1. n. 580. non praeter propter, sed in momento, non quidem mathematico, sed ecclesiastico, attendendo ad horologia, et probabilius a primo pulsu, quia ab eo jam volvitur rota ad horam sequentem, adeoque a medio vel ultimo pulsu usque ad horam primam non est hora integra. E contra juxta *Leandrum*, et *Bresserum* de Consc. L. 4. c. 11. n. 107. hora 12. durat moraliter usque ad ultimum sonum, eoquod tamdiu videatur durare, quamdiu auditur; non tamen facile recedendum est a priore sententia, quae nititur sensu communi.

372. Q. II. An, si quis sonante primo pulsu ad 12. adhuc aliquid masticet in ore, teneatur illud mox exspuere, dum audit primum pulsum? Respondent quidem affirmative *Coningk*, et *Joan. Sanch.* At R. cum *Gobat* tom. 4. Exper. n. 276. tutius quidem talis agit, Ecclesia tamen ad hanc rusticitatem non obligat: et praesertim ideo, quia licet illud deglutiat, non tamen censetur illud sumpsisse ab extrinseco, nec inchoasse comestionem post duodecimam. Secus de eo, qui incoepit ante duodecimam exhaurire craterem: hic enim si ad horae sonum pergat totum exhaurire, vere potum sumit ab extrinseco. Ita *Gobat* l. c. n. 277.

373. Q. III. An Gangolphus licite accesserit ad s. communionem, dum nocte praecedente post duodecimam reliquum in ore saccharum adhuc

deglutit? R. Illicite egit: quia illa liquatio sacchari licet inchoata sit ante duodecimam, non tamen debito tempore est absoluta: sed est manducatio quasi continua et successiva, ex intentione diutius duratura. *Suar.* l. c. *Rodrig.* et alii.

Praeterea *advertet*: 1. Quod non violetur jejunium, si vinum, ut saepe contingit, ante s. hostiam in communionem descendat; quia illa vini et hostiae sumptio manet una moraliter sumptio: quamvis ex proposito id fieri non debeat. 2. Reverentia exigit, ut communicans post s. communionem saltem per quadrantem horae abstineat a cibo et potu: si tamen justa causa urgeat, non est peccatum, comedere vel bibere etiam ante finitum quadrantem. 3. Non requiritur, ut suscepturus Eucharistiam coenae praecedentis cibos digesserit aut dormierit post coenam: hinc Sacerdos, qui prope duodecimam in nocte nativitatis Christi comedit vel bibit, licite potest celebrare post mediam noctem, quia vere est jejunus a media nocte. *S. Th.* q. 80. a. 8. ad 5., *Rodrig.*, *Bonac.* Si tamen ex indigestione maneat perturbatio mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum. *Missale* de defect. dispos. corp. n. 2.

374. Q. IV. An Gangolphus per tabaci sumptionem violaverit jejunium naturalem? R. Nisi deglutierit herbam tabaci, sed vel pulverem tabaci per nares attraxerit, vel solum fumum per fistulam respirando exceperit, vel folium ejus dentibus masticarit, idque contritum mox exspuerit, non violavit jejunium. *Ratio* est: quia tunc solum censetur violatum esse jejunium naturale, quando quis secundum aestimationem prudentum censetur vere comedisse vel bibisse; atqui Gangolphus modis praedictis non censetur comedisse aut bibisse; ergo. *Confirm.* ex praxi et sensu doctorum ac piorum virorum, teste *Lugone* L. 1. respons. mor. dub. 9., *Escobar* Exam. 6. c. 5. n. 63., *Praeposito* et aliis, quos citat *Diana* P. 8. t. 8. R. 3. contra *Lezanam* et alios. Nec obstat, quod usus tabaci ante communionem prohibeatur a Conc. Limensi III. et Mexicano III. et ab Urbano VIII. in Civitate et Dioecesi Hispalensi; quia haec prohibitio non est facta ob violationem jejunii naturalis, ut notat *Pasqualigius* in praxi jejunii Dec. 434., sed propter decentiam, ut colligitur ex eo, quod tabaci usus intra Ecclesiam prohibeatur in cit. CC. tam post missam et communionem, quam ante illam, imo et laicis non communicaturis; neque nos diffitemur, culpabilem esse irreverentiam, quando Sacerdos tabaco e naribus adhuc pendulo ad altare accedit, quia talis vel corporale turpiter maculat, vel pulvere tabacario implet ad nauseam aliorum Sacerdotum.

375. Q. V. Quenam sint causae excusantes a jejunio naturali ante s. communionem? R. Duae sunt, scil. integritas Sacrificii et necessitas. *Ratione integritatis*, excusatur: primo Sacerdos, qui post consecrationem recordatur, se non esse jejunum. Vide dicta n. 342. Si vero ante consecrationem recordetur et celebret in loco publico, similiter poterit pergere propter scandalum: si vero in loco privato, ubi sine scandalo et ignominia recedere potest, tutius reputat *S. Thomas* cit. n. 342. missam abrumperet. Idem dicendum de communicaturo, qui jam flectens ad sacram mensam recordatur, se non esse jejunum. *Secundo*, juxta dicta n. 295. si Sacerdos in sumptione advertat, loco vini aquam fuisse affusam, non licet aquam, quam in ore habet, exspuere, sed debet eam deglutire, et reliquae aquae adhuc in calice existenti tantum vini affundere, ut certo sufficiat, et facta oblatione de novo consecrare: ita suadet *Jansen.* p. 2. c. 92. n. 43. Alium modum suggerit *Missale* cit. sup. n. 294. *Tertio*, huc pertinet Casus n. 303. sub finem relatus.

376. *Ratione necessitatis* excusatur constitutus in periculo mortis, sive

ex morbo, sive ex vulnere, sive ex sententia iudicis. Vide dicta n. 335. et seq. An autem licitum sit moribundo non jejuno, si nequeat permanere jejunos, Eucharistiam praebere, quoties ipsi jejuno liceret extra morbum, et consequenter quotidie (uti affirmat *Gobat* t. 4. n. 317. cum *Dicast.* et *Jansen.* l. c. ductus ratione benignitatis Ecclesiae et utilitatis Sacramenti) universaliter affirmandum non videtur; sed ut monet *Busemb.* L. 6. t. 3. c. 2. a. 2. in hac re potius spectanda est loci consuetudo, quae nunc saltem videtur permittere, ut quando morbus diu protrahitur, post 7. vel 8. dies iterum detur Eucharistia non jejuno.

377. *Secundo.* Excusatur Parochus, si die dominico aut festo, vel stante funere aut in benedictione nuptiarum etc., Sacrum non possit omittere sine manifesto scandalo, obmurmuratione populi, diceriis et calumniis in Sacerdotes, tunc poterit celebrare non jejunos (addit *Jansen.* l. c. etiamsi jam occulte Sacrum legerit), quia tunc lex de vitando scandalo praevallet legi ecclesiasticae de jejunio. *Suar.* Disp. 66. Sect. 5. sub fin., *Laym.*, *Tann.*, *Gobat* t. 4. n. 329. contra *Navarrum.* Plures casus huc pertinentes vide apud *La Croix* L. 6. p. 1. n. 582.

Quid vero, si populus sciret, Sacerdotem non esse jejunum? Respondet *Tann.*, populum esse monendum de errore et dimittendum sine missa: *Gobat* vero iudicat, melius fore, si missa legatur in talibus circumstantiis, quia scandalum cavetur, si populus edoceatur, quod Ecclesia id in his circumstantiis permittat.

378. *Tertio.* Quamvis *Major* probabile esse affirmet, quod liceat Sacerdoti non jejuno celebrare, si in casu necessitatis desit hostia pro Viatico morituri; communiter tamen alii DD. id negant, tum quia consuetudo optima legum interpret id non permittit, tum quia praeceptum Viatici non obligat, quando rite non potest dari: accedit, quod major sit habenda ratio Sacramenti, quam aliqualis necessitatis proximi. *Suar.* l. c., *Laym.* L. 5. t. 4. c. 6. n. 21., *Lugo*, *Dicast.*, *Herinx.* Sacerdoti morti sive naturali, sive violentae vicino licet celebrare ad dandum sibi Viaticum; quia sicut in tali casu laico non jejuno licet dare Viaticum; ita Sacerdoti in simili necessitate constituto licet celebrare, ut deficiente hostia consecrata sibi possit dare Viaticum. *Lugo* D. 15. S. 4. et alii.

379. *Quarto.* Metus mortis excusat a jejunio ante communionem, dummodo communio vel celebratio missae non exigatur in contemptum Religionis, Ecclesiae vel ejus praeceptorum. *Busemb.* l. c. cum *Sylv.*, et *Dian.*

380. Q. VI. An macula corporis, puta, aegritudo, lepra aut vestium deformitas a sumptione Eucharistiae impedit? R. Per se non impedit; quia sola malitia peccati, quae est deformitas et macula animae, impedit a digna sumptione hujus Sacramenti: macula autem corporis per se non continet malitiam peccati: *non lotis enim manibus manducare, non coinquinat hominem.* *Matth.* 18. Vide *S. Bonav.* in 4. D. 12. q. 3. Dixi, *per se non impedit:* interdum enim per accidens ob scandalum vel horrorem populi abstinendum est a s. communionem, et missae sacrificio. Item si corporis macula non diu duratura credatur, praestat abstinere a sacra mensa ex reverentia, donec mundo corde et corpore possit accedere. Mulier menstruata, per se loquendo, non peccat sumendo Eucharistiam. *Laym.* l. c. n. 14.

381. Q. VII. An pollutio nocturna impediat dignam communionem? R. Non impedit pollutio involuntaria, nec voluntaria per poenitentiam expiata, nisi relinquat post se effectum malignum, v. g. turpem recordationem, motum, distractionem, magnamque animi perturbationem; quae si

tenacius adhaereant, saltem sub veniali abstinendum est a communionem, nisi aliud suadeat justa causa, v. g. publica ac communis devotio aut festivitas, regula Ordinis, extraordinarium desiderium Eucharistiae cum parato animo ad resistendum inordinatis motibus etc., vel si credatur pollutio excitata a daemone ad impediendam communionem frequentiam. *Bonacina* D. 4. q. 6. pun. 2., *Henriq.*, *Regin.* et commun.

382. Q. VIII. An actus conjugalis impediat dignam communionem? R. *Per se* non impedit, praesertim si redditum fuerit debitum ex necessitate aut bono fine, v. g. ex amore proles, vel ad evitandum incontinentiae periculum; si vero redditum fuerit solius voluptatis causa, aut ex actu praecedente animo inhaereat magna perturbatio, aut affectus ad res venereas etc., sub veniali eo die abstinendum ob decentiam, quae tamen subinde accedente justa causa potest resarciri. *Laym.* l. c. n. 16. Confessariis duplicem tradit regulam observandam, si mulieres quaerant, utrum maritis debitum reddere debeant eo die vel pridie, quando communicaturae sint: 1. Si mulier frequenter soleat communicare v. g. singulis Dominicis aut Festis, tum Confessarius respondeat, eam obligari ad reddendum, alioquin periculum esse, ne mortaliter peccet tum contra justitiam, si marito serio et constanter petenti neget, tum contra charitatem ratione scandali; quia exinde rixae et odium tam contra conjugem, quam contra frequentem ejus communionem excitantur; si tamen ob malignos effectus subsecutos se sentiat indispositam, consulendum ipsi erit, ut interdum intermittat communionem, nisi justa excuset causa. 2. Si mulier rarius v. g. in praecipuis tantum festivitibus communicare soleat, maritum commone et rogare poterit, ut abstineat propter imminens festum et s. communionem: si vero monendo nihil proficiat aut mariti offensionem incurrat, debitum reddendum est petenti, atque nihilominus accedere poterit ad s. Eucharistiam.

383. Q. IX. Quid censendum sit de frequenti et quotidiana communionem? R. 1. Singulis Dominicis et Festis cum debita praeparatione, et non tantum ex consuetudine communicare, sanctum et salubre est ferventibus Christianis: quoties et quibus id liceat, dependet a Confessarii prudenti iudicio, qui propterea consulendus et audiendus est.

384. R. 2. Quotidiana communio *per se* non est illicita, fuitque usitata in primitiva Ecclesia, dum adhuc fervebat charitas et devotio. Sancte de hoc disserit *S. Th.* p. 3. q. 80. a. 10. *Dicendum, quod circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari: unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris; et ideo utile est, quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat.... Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc Sacramentum accedat; et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset: Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit; subjungit: Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus, quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit praeparatum. Innocentius XI. in Decreto circa quotidianam communionem, quod incipit: Cum ad aures, circa medium praeter alia ita statuit: In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana S. Communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituentur, sed magis, quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decer-*

nendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a S. Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Praeterea Bened. XIV. in praeclaro suo opere de Synodo L. 7. C. 12. erudite statuit, non esse deviandum ab hujus decreti semita, postea subjungit: Praecipue vero monendi sunt Confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum vis aut suadeant, aut permittant, qui in gravia peccata saepe labuntur, nec de poenitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt solliciti; sicuti nec illis, qui etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem; qua de re legendi sunt S. Franc. Salesius Philotheae P. 2. C. 20. et Joannes Taulerus Serm. 4. in festo Ven. Sacram.

385. Huc pertinet propositio 56. ab Immo. XI. damnata: *Communio, et Confessio frequens etiam in vis, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis. Ratio damnationis:* vel enim sensus est, gentiliter viventem posse se disponere rite ad quotidie confitendum aut communicandum; vel sensus est, si confessiones et communionem sacrales peragantur, posse tamen esse signum salutis: atqui utroque sensu delira et falsa est propositio; cum ejusmodi signum fundetur et consistat in perseverante observantia divinae legis: ergo. Ita P. Cardenas in dict. propos.

Pariter recte damnata est ab Alexandro VIII. propositio 23. *Ratio est;* quia Trid. sess. 13. C. 7. explicans illud Pauli 1. Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat,* nullam aliam requirit dispositionem necessariam, quam ut homo dispiciat, an sibi conscius sit peccati mortalis, et si illud repererit, non doleat tantum eliciendo contritionem, sed etiam sacramentaliter confiteatur; quae doctrina manca dici nequit; atqui esset manca, si praeterea amor Dei purissimus requireretur: ergo non requiritur necessario ad s. communionem amor Dei purissimus: ergo nec arcendi sunt a communionem, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers, ut sonat propositio damnata. *Confirm.* 1. A communionem tantum arcendi sunt constituti in peccato mortali: atqui talis amor Dei, qui non est expers omnis mixtionis, non est peccatum mortale, ut patet ex prop. 7. ab Alex. VIII. damnata: ergo. *Confirm.* 2. Constat ex C. Toletano II. Can. 11. pueris hujus amoris purissimi etc. incapacibus datam fuisse Eucharistiam; ergo non requiritur necessario talis amor. Varias ss. PP. sententiae probant, conveniens esse, amorem purissimum habere, non vero, quod absolute necessarius sit ad Eucharistiam digne suscipiendam.

ARTICULUS II. De Eucharistia, ut est Sacrificium.

§. I. Praenotanda.

386. I. Sacrificium 1. latissime sumitur pro omni actione, quae in gloriam Dei cedit, ut oratio secundum illud Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* 2. Adhuc late sumitur pro oblationibus, quae fiunt in usum templi, sive ejus ministrorum: sic in sensu vulgi primitiae, et decimae saepe vocantur sacrificia. 3. Proprie sumitur pro oblatione soli Deo facta cum destructione seu immutatione rei oblatae. Unde Sacrificium proprie dictum communiter definitur: *Oblatio externa rei sensibilis cum ejus destructione vel immutatione soli Deo facta per legitimum ministrum in protestationem supremi ejus dominii in vitam et necem,* sive in omnes res creatas. Dixi 1. *Oblatio externa;* sic convenit cum aliis oblationibus primitiarum et honorum operum, quae ad Deum referuntur.

2. Dixi: *Rei sensibilis;* per hoc distinguitur a Sacrificio contriti cordis, et actuum interiorum fidei, spei, charitatis, qui ab hominibus eliciuntur in protestationem excellentiae divinae. *Omnis quippe Pontifex,* ait Apost. Hebr. 8. *ad offerendum munera et hostias constituitur.* Porro cum homines per sacrificia coadunentur in unius ejusdemque religionis cultum, neque possint inter se communicare, nisi signis sensibilibus manifestent actus internos, ideo Sacrificium proprie tale recte definitur, oblatio rei sensibilis.

3. Dixi: *Cum ejus destructione, vel immutatione:* per quae verba Sacrificium proprie tale differt a caeteris oblationibus rerum sensibilium, in quibus res oblata nec physice, nec moraliter est destruenda, ut legitur Levit. 16. de Sacrificio capri emissarii, qui non occidebatur, sed tanquam exul in solitudinem emittebatur. Additur, *vel cum immutatione;* quia ad Sacrificium proprie tale non semper requiritur necessario destructio realis et totalis, sed sufficit moralis; sic in Sacrificiis libaminum effundebatur vinum; oleum etc., quae effusio licet non sit destructio physica vini, est tamen moralis, quatenus liquores illi effusi non amplius ad priorem usum idonei sunt.

4. Dixi: *Soli deo facta:* quia per rei oblatae destructionem sive physicam, sive moralem agnoscimus Deum esse rerum omnium Dominum, profitemurque nos totos supremae illius majestati devovere cum victima: hinc nulli Sancto, nulli creaturae Sacrificium offerimus, teste S. Aug. qui L. 20. contra Faustum Manichaeum c. 21. ait: *Quamvis in memoriis Martyrum constituamus Altaria, quis Antistitum in locis Sanctorum Corporum assistens Altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.*

5. Dixi: *Per legitimum ministrum:* cum enim Sacrificium sit cultus Dei publicus et in Religione excellentissimus, debet fieri ab habente publicam auctoritatem, qui legitime fuerit ordinatus, ut patet ex illo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus... nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

6. Dixi: *In protestationem supremi ejus dominii etc.;* hic enim est directus ac primarius finis Sacrificii, sicque distinguitur a Sacramento, cujus finis directus ac primarius est sanctificatio hominis: per Sacramenta Deus nobis praebet gratiam, nos per Sacrificium Deo offerimus supremum cultum. Plura de hac definitione vide apud Joan. Clericatum in Decis. Sacramental. de Sacrificio Missae.

387. II. Sacrificium ratione materiae dividitur primo in *Hostias* seu *Victimas*, quando Deo offerebantur ritu solemni animantia, videlicet oves, capri, boves, columbae etc. Item in *Immolationes*, quando Deo offerebantur res inanimatae, sed solidae, ut panis, thus, etc. Denique in *Libamina*, quae constabant ex liquidis, v. g. vino, oleo etc. de quibus passim in LL. Levit., Num. et alibi.

388. *Secundo. Ratione formae* Sacrificium dividitur in *Holocaustum*, quae erat perfectissima Sacrificii species, in quo res tota destruebatur, ita ut nihil inde cederet in usum hominum, in signum supremi Dei in omnes res creatas dominii, et perfectae nostrae a Deo dependentiae. Item in *Hostiam* pro peccato, quando res oblata partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex oblati vesebantur, unde dicebantur comedere peccata populi, h. e. victimas pro peccatis oblatas. Denique in *Hostiam pacificam*, quae solebat offerri in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vel ad nova impetranda.

389. *Tertio. Ratione finis* Sacrificium aliud olim erat *Latreuticum*, a